

108. *Dices 2^o. 2. Feud. 24.* Vasallus inter annum et diem investituram non petens feudum amittit : et §. *fin. ibid.* dicitur a vasallo feudum amitti, et reverti ad dominum, non ad proximos, *ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem*; ergo pertinet ad dominum stabiliter. 1. quia id videtur importare *et amittere*. 2. quia nulla agnatorum fit mentio, unde et hi exclusi censendi sunt.

R. 1^o. *N. Cons. cum prob.* Verbum *amittere*, etsi amissionem perpetuam ex parte vasalli et filiorum possit indicare; non tamen idcirco simul dicit detentionem perpetuam ex parte domini contra jus agnatorum. Similiter etsi hic non fiat agnatorum mentio; fit tamen in textibus aliis cit. in Concl.

R. 2^o. *etiam D. primum.* Dicitur simpliciter illud amittere pro se et suis filiis C. Etiam pro agnatis N. Dicitur *ibi* vasallus feudum amittere, *quia ingratus extitit*; infero : ergo agnati non amittunt, quia hi ingrati non extiterunt. *D. etiam alterum* : Non ad proximos immediate C. Nequidem mediate post vasalli et filiorum mortem N. Nec plus ex ratione addita evincitur, sed bene contrarium; *ultio* enim eum respicit, a quo illata injuria est; ergo extendere se non debet ad innocentes agnatos, ut hi, sine data injuria, suo jure priventur.

109. *Dices 3^o.* Si feudum non rediret ad dominum stabiliter; ergo fieri posset, ut dominus nullam haberet suæ ultionem injuriæ. *Prob.* Fieri enim potest, ut vasallus delinquens post datam injuriam moreretur non extantibus filiis; quo casu feudum continuo pertineret ad agnatos : sed hoc videtur iniquum benefactori domino directo, et contra beneficii naturam, quæ semper in feudo, secundum sua naturalia spectata, attendi debet.

R. *N. Seq. maj. Ad prob.* R. Cum hic casus de contingenti raro, nec in jure feudali expressus sit; æquitati et judicio Parium Curie relinquitur, qua ratione domino fiat compensatio pro injuria; vel removendo ad certum tempus agnatos; vel aliter providendo.

110. *Dices 4^o.* Ob delictum vasalli præjudicatur hujus filiis, qui tamen vasallo propinquius conjunguntur, quam agnati, atque æque hi sepe innocentes sunt; cur ergo non et agnatis?

R. Filios excludendi specialis fuit ratio, quam paulo ante dedi; hæc autem cessat in agnatis; vel certe in iis non ita facile præsumitur, quod præsumit *L. quisquis cit.* in filiis, de quibus tantum dicitur, quod in iis paterni criminis, id est, hæreditarii exempla metuantur.

111. *Dices 5^o.* Donatio facta inter vivos ob ingratitudinem donatarii revocatur stabiliter ad donantem; ergo etiam ob ingratitudinem vasalli feudum sic revertitur ad dominum. *Prob. Cons.* Natura enim feudi est aliqua donatio, sive concessio gratuita, et servat naturam beneficii.

R. *D. Cons.* Ergo etiam feudum antiquum sic revertitur ad dominum N. novum C. Feudum novum et donatio pari passu ambulant; cum nec in hac, nec in illo sit aliis jus quæsitum. At inter feudum antiquum et donationem est dispar ratio; non enim in hac, sed in illo jus quæsitum agnatis est, quo sine sua culpa privari non possunt.

112. *Dices 6^o.* Hoc jus quæsitum agnatorum tantum est conditionatum; sive sub conditione : si non deliquerit vasallus; ergo.

R. *N. Ant.* quod probari debet; et probari ex jure non potest. E contra hoc jus agnatorum absolutum esse, non conditionatum evincunt textus sat clari, allatique in *prob. part. 2^o.* Conclus.

ARTICULUS III.

SINTNE CAPACES PRÆLATI ECCLESIASTICI FEUDORUM CUM ANNEXIS REGALIIUM JURIBUS.

113. *Nota.* Quæstio in Imperio maxime locum habet, in quo solo comperimus, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates aliosque Ecclesiastici Ordinis possidere secularia feuda amplissima cum omnibus regalium juribus, quæ jurisdictioni territoriali, vel insunt, vel inde fluunt, æque ac seculares Imperii Status. Movetur autem in Protestantium gratiam, qui hunc Germanicæ Ecclesiæ splendorem lividis plus æquo oculis intuentur, utque livorem tegant, adscitiis rationibus illam in Principibus Ecclesiasticis potestatem perstringunt, ceu alienam ab eorum ordine, imo huic repugnantem. Qui, inquit, *claves et arma* conveniunt? *stola et sagum? pedum et gladius?* Quomodo secularibus implicetur negotiis, qui militare debet Christo? Præterea nihil, contendunt, perniciosius accidere potuisse Imperio, quam illam utriusque potestatis sacræ et politicæ conjunctionem; *ITTE de Feud. Imp. cap. 5.* plurimique Protestantium Scriptores. Theologi proinde est, præsertim polemici inquirere, quid attentis Theologicis Scripturæ sacræ ipsiusque naturæ instituti a Christo Episcopatus fontibus dici possit ac debeat; cujus hoc loco commodior, quam in Theologia alibi, se offert occasio. Quare

114. *Dico I.* Non repugnat *ex natura rei* utriusque potestatis sacræ et politicæ in eodem subjecto conjunctio; nec *ex institutione divina Episcopatus*; adeoque Prælati Ecclesiastici capaces sunt feudorum secularium cum annexis regalium juribus. Ita Catholici.

Pars 1^a. prob. Quia si spectetur utriusque potestatis natura, objectum, finis, media ad eundem, detegitur quidem inter potestatem utramque distinctio, diversitas; sed non idcirco *repugnantia*, quæ plus dicit : quæ enim sibi invicem repugnant, ibi alterum quod prævalet, expellit debilius alterum; quæ vero distinguuntur tantum, vere uniri possunt; ut patet in corpore et anima; ergo. *Ant. declaratur.* Si objectum potestatis politicæ est temporale, finis temporalis felicitas civium, media ad hunc pariter temporalia sunt; e contra potestatis sacræ objectum est spirituale, finis felicitas spiritualis, supernaturalis, media ad hunc spiritualia sunt; felicitas temporalis ex natura sua non repugnat felicitati alteri spirituali, licet hæc nobilior sit et altioris ordinis, cum utriusque homo capax sit; ergo nec potestas utraque sibi ex natura rei invicem repugnat; ac proinde sicut corpus et anima, etsi diversi sint ordinis, proprietates habeant diversas, non tamen sibi repugnant, sed esse simul possunt, ita dæ illæ potestates, ut unus idemque possit subditos ad finem utrumque promovere.

Conf. 1. Juxta vulgata Protestantium principia jus utrumque tum in civilia, tum in sacra uni eidemque Principi competit, sive ex natura jurisdictionis temporalis, cujus jus sacrorum quasi particula sit; ut vult BOEHMERUS cum suis; sive, quod populus jus etiam in sacra ex congruentia, velut delegando, transtulerit in Principem, ut cum suis contra contendit PFAFFIUS. Si ergo jus utrumque non repugnet juxta adversarios in uno eodemque Principe, cur repugnet in Prælato Ecclesiastico? Unde hic merito mirari subit quorundam ex adversariis vel in loquendo incohærentiam, vel inter semet repugnantiam.

Conf. 2. Utraque potestas conjuncta fuit olim in lege nature: Melchisedech enim et sacerdos fuit Dei Altissimi, et rex Salem *Gen. 14. v. 14.* Et Moyses postea dux fuit populi sedens pro tribunali ad decidendas lites *Exod. 18.*, et simul sacerdos ante sacerdotium Aaronis. Samuel sacerdos fuit fidelis Domini, ac simul judex populi, in regem Agag gladium stringens. Numquid Machabæi sacerdotes erant, quippe genus de tribu Levi ducentes, ac tamen duces erant saltem militiæ, gladio Republicam tuentes. Ergo ex natura rei nulla esse potest inter utramque potestatem repugnantia, cum factis constet utramque uniri posse.

113. *Respondent*: Non tenere argumentationem a Lege vet. ad Legem nov. Vel si hæc admittatur, contra ipsos pugnabit catholicos; si enim tum, penes quem principatus erat, et fuerit sacerdotium, cur non idem sit in Lege nova, ut penes quem est regio, etiam sit religio? Sed

Contra primum est 1º. Hactenus id tantum nobis fuisse propositum, ut monstrarem, non ex natura rei repugnare potestatis utriusque in eodem subjecto consortium. 2º. Falsum, simpliciter non tenere argumentum a L. V. ad L. N. etsi non teneat quoad omnia; cujus ratio est, quod Lex vetus, attestante Scriptura S., figura fuerit Legis novæ ac typus; ergo aliqua inter utramque debet similitudo intercedere ac aliquo modo tenere argumentum a Lege veteri deductum. Sed argumentum, quod inde ducitur, non est tale: in Lege veteri terrenus principatus erat aliquando conjunctus cum sacerdotio; ergo hoc semper debet esse in Lege nova. Sed hoc: in Lege veteri non repugnabat ex natura rei conjungi potestatem utramque in subjecto eodem; ergo neque hæc intrinseca repugnantia potest adstrui pro Lege nova, cum, quæ semel repugnant intrinsece, semper repugnent; quia, ut aiunt Philosophi omnes, essentialiter rerum æternæ sunt.

Contra alterum est, quod spectata veteris Testamenti historia, nullo plane ex capite ita inferri possit: ergo penes quem est regio, etiam est religio; sed directe hoc contrarium inferri debeat: ergo penes quem est religio, potest esse et regio. Ratio aperta est; ex quo enim tempore Deus sacerdotium Aaroni contulit, ac propriam fecit tribui Levi sacrum ministerium; nemini alterius tribus vel mortalium licuit involare in munia sacerdotalia, ut patet ex Core, Dathan et Abiron propterea a dehiscente terra absorptis *Num. 16.*, Saule, etsi rege, reprobato *1. Reg. 13.*, Ozia lepra percusso *Paralip. 26.* Alia vero, quæ passim adversarii congerunt pro sacerdotio regum Testamenti veteris, ut quod David Arcam introduci fecerit, cantica fecerit, et similia, nihil evincunt; partim quod facta illa non sint omnia uni propria sacerdotio, sed et laicis esse communia possint, ut cantica sacra componere; partim

non nisi sacrorum curam, protectionem ad summum arguant, ut cum David Arcam introduci fecerit; ipse tamen neque portavit, neque tenuit; sed solum comitatus, more aliorum hodie principum secularium. Vide de his in Theologia nostra alibi ex studio disserentes. E contra vero a tempore divisi a Deo in Aaronem sacerdotii, licuit sacerdotibus nihilominus exercere jura principatus politici; ergo quod ex historia Testamenti veteris inferri potest, præcise illud est: Potest sacerdotium qua tale obtinere et principatum politicum; non vero: Princeps politicus præcise qua talis fungi sacerdotio. Cujus nunc uberius patebit ratio.

116. *Pars 2ª. prob.* Quia, quidquid de hoc in paginis Testamenti novi extat, in his continetur; quod Christus Apostolis suis solummodo dederit potestatem clavium *Joann. 20.*: eos fecerit sacerdotes in Cæna ultima: verbo omnem eis principatum sacrum contulerit; et quoniam sive cum hunc promitteret, sive cum daret, non nisi ad Apostolos Christus sermonem direxisse legitur, nulli ad laicos; merito inde arguunt, duce etiam Traditione perpetua, Theologi Catholici, totaque Catholica Ecclesia: ergo jurisdictionem sacram præcise penes Apostolos suos esse voluit, horumque successores; sed ubi aliquando vel verbo innuit, eos idcirco potestatis alterius incapaces esse, quod, cum caput sit controversiæ, hic non supponendum, sed vel maxime probandum est; ex toto autem Testamento novo ostendi nequit. Igitur, licet Apostoli fuerint habiles private redditi ad exercenda sacra munia; non ideo dici possunt inhabiles redditi ad possidenda regalia secularia, etsi talia non legantur possedisse. Et nisi id ipsum dixerint adversarii, in alterutrum scopulum necesse est impingant; vel in Lege nova sacerdotium non posse conjungi cum Imperio, ac proinde penes ipsorum Principes non residere jus Sacrorum; vel si ex institutione divina Christi sacerdotium sit inhabile redditum ad Imperiumulare, adversarios contra illam peccare gravissime, quod et sacerdotium et imperium in eodem tamen Principe consociatum velint; aut penes ipsos non esse sacerdotium verum.

117. *Dico II.* Neque repugnat utilitati Imperii, neque Statui seculari infert præjudicium.

Pars 1ª. prob. 1º. Juxta adoptatum a plerisque hodie Protestantibus principium, jus sacrorum pertinet ad Principem, ne secus, divisio a se invicem imperio et sacerdotio, detur status in statu, dissensionum et jurgiorum seminarium; ut ferme uno omnes ore clamant: atqui huic existimato malo hoc ipso occurrit, si, qui Episcopi, sint simul Principes territorii. Eodem modo omnes adversariorum rationes, quas pro Principibus suis afferunt, hic pugnant pro Prælatibus Ecclesiasticis.

118. *Prob. 2º.* Si repugnaret utilitati Imperii; ergo vel ideo quod minus fideles sint in supremum Imperii caput, Cæsarem, et in Imperium; vel, quod propter illam unionem potestatum deteriorentur ditiones Imperii. Atqui neutrum dici potest. Non primum; cum fidelitate in Cæsarem et Imperium, si ipsos status seculares non conentur antecedere, saltem in hoc cum iisdem de primatu certant. Nolo huc allegare Historias, in adversariorum memoria satis vivas, unde de illa fidelitate et studio juvandi Cæsarem possit ferri

judicium. Deinde jurium suorum satis vigilans Imperii caput æque parum aliquid fidelitatis sibi debitæ patietur deesse in Statibus Ecclesiasticis, quam secularibus; cum ambo iisdem legibus, pari jurisjurandi sacramento teneantur.

Non secundum: Deterioratio ditionis fieret, vel per alienationem, vel divisionem, vel oppugnationem. Sed nullo ex his modo est deterioratio metuenda; cum citra consensum Cæsaris talis alienatio, divisio, nulli permissa Statuum in feudis Imperii. Ac si proinde nihil tale citra placitum Cæsaris facient Status seculares; neque facient Ecclesiastici.

119. *Pars 2^a. prob.* Ut alteri inferatur præjudicium; hic vel jus *in re*, vel certe *ad rem*, necesse est habeat; neutrum habent status seculares quoad territoria Principum Ecclesiasticorum; ergo.

Quod si fortassis adversarii ideo minus utiles Imperio status Ecclesiasticos putent, quod hi vigilantiores pro commissis sibi gregibus, turbulentis Lutheri temporibus, steterint pro avita Religione, pro ejus conservatione adjuverint Cæsarem; sese novis dogmatibus opposuerint consilio, re, armis; id pro utilitate Imperii fuit, exegitque ab iis jurisjurandi sacramentum, quo Cæsari et Imperio tenebantur obstricti; quod proinde iis nocere non debet. Imo non sine ratione vereor, ne Episcoporum ac Præsulum Germaniæ in fide orthodoxa probata semper constantia, pro eaque tuenda armata virtus sit tacitum illud vulnus in adversariorum hærens animis, quod illis querelas eas contra statuum Ecclesiasticorum potentiam extorqueat, quas adscititiis aliis ac parum fundatis rationibus vestire conantur, ut modo videbimus.

120. *Obj. I.* Factis et verbis constanter professus est Christus se regnum temporale non ambire; ergo neque fas est Pontificem summum, Episcopos, aliosque Ecclesiasticos Praelatos principatus temporales possidere, aut principum titulis ornari. *Prob. Ant. 1^o.* Joan. 18. 36. *Regnum meum*, inquit, *non est de hoc mundo.* 2^o. Joan. 12. 47. *Non veni, ut judicem mundum; sed ut salvificem mundum.* 3^o. Unde passim se *Pastorem bonum, Magistrum, Præceptorem* dixit, vocarique sustinuit. 4^o. Quin, cum ipsum facere regem vellent (Joan. 6.) fugit.

R. 1^o. Si quid ea probent, sacerdotium *non posse* conjungi cum seculari imperio; ergo multo magis jugulant capitale plerorumque hodie Protestantium systema, quod *debeat* conjungi in territorii principe.

R. 2^o. Christum in omnia regna omnem habuisse potestatem, quis negare ausit, ac non solum qua Deum, sed etiam qua hominem? cum enim qua Deus dominium perfectissimum in creata omnia habeat ex natura sua, hoc qua homo ex dono Patris communicatum accepit: *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Dan. 7. Nec regis titulum propterea penitus declinavit; quin hunc triplici idiomate, non sine causa et mysterio, ipsi suæ cruci inscribi sustinuit. Quod vero regnum temporale non ambiret, vel potius potestatem etiam secularem non exerceret; singularis fuit ratio, de qua nunc; nam

R. 3^o. *N. Cons.* Quod enim potestatem secularem non exerceret, causa erat *finis*; propter quem in mundum venerat. Venerat autem, ut esset

Mediator et Redemptor, qui Redemptionis opus sua morte consummaret. Hic vero finis supernaturalis erat, ad quem nihil conducebat potestatis politicæ exercitium, aula regia, famulatus, milites; quin, cum ex voluntate Patris tali modo redimere mundum deberet, splendor regius plane non conveniebat. Deinde venerat, ut esset Pastor, Magister, id est novæ Legis doctrina, suoque prævio exemplo imbueret homines ad cælum; proinde ea in forma advenire debuit, non quo deterreret homines, ut fecisset majestas regia; illudque vitæ amplecti genus, quod possent imitari omnes, reges, principes, divites, pauperes, quoque homines ad amplectendam libere fidem alliceret, non cogeret. Unde S. AUGUSTINUS ad illud Joan. 18. *cit. Tr. 115. in Joann. Audi, inquit, circumcisio: audi præputium: non impedio dominationem vestram. Quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non est de hoc mundo; venite credendo, non servite metuendo.* Hinc patet responsio ad *prob. Ant.*

121. *Obj. II.* Christus non obscure suis Apostolis omne seculare imperium prohibitum voluit; ergo et multo magis Episcopis Apostolorum successoribus. *Prob. Ant.* Nam 1^o. Matth. 20. 25. ait ad Apostolos: *Principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos.* 2^o. Apostolos sic instituit, ut *non possiderent aurum, neque argentum, neque pecuniam; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* quanto igitur minus voluit, ut possiderent principatus integros, sceptrum, gladium portarent? 3^o. Unde et Paulus 2. ad Tim. 2. *Nemo, inquit, militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Et rursum 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros et dispensatores mysteriorum Dei, non ut principes;* ergo.

R. 1^o. Et rursum; ergo vel in systemate Protestantium princeps territorii non habet simul potestatem sacram; vel, si habet, contra præceptum Christi habet.

R. 2^o. *T. interim Ant. N. Cons.* Quia pro Apostolis ratio specialis fuit; nam 1. hoc non permittebat primæva Apostolorum institutio et finis, cum enim *eo sine* essent instituti a Christo, ut, nullo loco fixi, irent in mundum universum, prædicarent Evangelium omnibus gentibus, territoria et principatus possidere non poterant. E contra vero magis expediebat ad hunc finem consequendum eos inermes et pauperes mitti, tum ne fidei propagatio magis potentæ eorum seculari et divitiis tribueretur; tum, ut tanto magis ac promptius gentes traherent in obsequium fidei; cum enim terrena respicerent Apostoli, inde non poterant non intelligere gentes, illos ad se solius annuntiandæ veritatis studio advenisse. Præterea non omne quod Apostolis dictum, transiit in regulam pro Episcopis: ac proinde sicut nemo, nisi ineptire voluerit, ex illa Apostolorum institutione, regulam datam esse Episcopis contendet, ut ii modo *sine pera, sine calceamentis* percurrant orbem; vel mendicabulorum instar circumcursent vagi; sic nec inde impuguari potest potestas accessoria altera, secularis Episcoporum.

Dixi: *T. interim;* 1. quia nihilominus quædam potestatis vindictivæ inter Apostolorum actus exempla relucet; in Petro morte Ananiam et Saphiram mulctante Act. 1.; in Paulo Elymam magum cæcitate puniente; Act. 13.

2. Quia ne hi quidem textus, saltem omnes, evincunt intentum adversariorum pro ipsis Apostolis. Nam

Ad 1^{um}. R. Hic agitur de dominatu præcise respectu aliorum Apostolorum, ut inter eos futurus major, dominatum in reliquos Apostolos, more regum gentilium, h. e. *despoticum* ac tyrannicum (hoc enim sonat vox græca *κατακυριεύουσι*) non exerceret; patet ex his, *non ita erit inter vos; tum ex subjectis: qui vult vestrum major fieri.*

Ad 3^{um}. S. Pauli verba indefinita ac generalia non Ecclesiasticos præcise, sed etiam laicos respiciunt, idque solummodo volunt, ne quis secularibus negotiis se nimium dedat, ut se iis *implicari* patiatur, ut eorum, quæ Dei et vocationis christianæ sunt, vel nullam, vel minorem, quam secularium rerum, curam habeat. Uti proinde ex hoc nihil contra recte ordinatum laicorum secularem dominatum, sic neque contra alterum argui possit.

Ad 4^{um}. Equidem Paulus non dixit: *non ut Principes*; sed neque idcirco dici potest, quod omnem potestatem aliam positive exclusam voluerit. Deinde Episcopi nostri vere nihilominus sunt, manentque ministri et dispensatores mysteriorum Dei, conjuncto licet principatu alio.

122. *Obj. III.* 1°. In tota primitiva Ecclesia priorum seculorum non habetur vestigium juris, vel imperii secularis apud Ecclesiasticos. 2°. Potius Ecclesiastica jura id prohibent; dum vetant Monachis et Clericis, ne secularibus negotiis se immisceant, de quo vide *tot. tit. Ne Clerici, vel Monachi*. Lib. 3. Decret. 3°. Viri sancti et insignes hoc in Clericis detestantur: S. BERNARDUS Lib. 2. de Consid. c. 6. ad EUGENIUM Papam; *Ne dictam sola humilitate putes, non etiam veritate vocem Domini: Reges gentium, etc. Planum est: Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, et tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicus dominatum; plane ab alterutro prohiberis: si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* Similiter OSIUS Cordubensis acclamabat imperatori CONSTANTIO, teste S. ATHANASIO *Epist. ad solitar., Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesie, concedidit... Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu Sacrorum potestatem habes, Imperator.* 4°. Non expedit bono imperiis; ut enim ait Philo. 4. *Politic. 14.* male consultum est imperio, in quo pars civium potentiorum pendet a principe externo; sed sic pendet a Romano Pontifice status Ecclesiastici. CONRING. *ad Lampad. c. 6.*

123. R. Ad 1^{um}. Quid mirum primis illis seculis apud Praelatos Ecclesie non extitisse, saltem eo modo et forma, ut nunc, jura secularia regalia, vel Imperium; unde enim acciperent, Romanis imperatoribus (idem est de gentilibus regibus) Christianos vix vivere, ne dicam, imperare more principum, permittentibus? At Christianis sub imperatoribus se continuo res aliter habuit, etiam secularium litium decisione concessa Episcopis, adeo ut horum sententiæ penitus acquiescendum esset; ita in Cod. Theodosiano extat Lex THEODOSII Imperatoris Lib. 16. *Tit. de Episcop. judic.* relata a GRATIANO *Caus. XI. Q. 1. Can. Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curricularis... judicium elegerit Sacrosanctæ Sedis Antistitis, illico sine aliqua*

dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Ac apud IVONEM et ANSELMUM paulo post subditur quod nunc habetur, *Caus. et Q. c. cit. Can. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminata perpetuo stabilitatis jure firmentur; nec ulterius liceat retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.* Atque hoc exemplo partim, partim Episcoporum pietate et incorrupta constantia permoti Imperatores alii plura adjecerunt jura, quæ tandem in eam celsitudinem, in qua sunt modo, excreverunt. Sic et S. GREGORIUM Thaumaturgum Episcopi et judicis simul munere functum, refert GREGORIUS NISSEUS in illius vita. De S. AMBROSIO idem colligitur ex Lib. *Officior. c. 29.* De S. AUGUSTINO ex L. de opere Monach. c. 26. aliisque.

124. Ad 2^{um}. R. Pleraque capita loquuntur de negotiis ejusmodi, quæ statum clericalem ac monachalem dehonestare possunt, unde utriusque ordinis oriri possit vilipensio, ut patebit *capita* singula inspicienti; sed eminenti ejusmodi imperio, quo nunc gaudent in Germania Ecclesiastici status, augustius redditur sacerdotium, et ipsis venerandum hostibus.

125. Ad 3^{um}. S. BERNARDUS, ut supra de Apostolis dictum *num. præc.* loquitur de dominatu pro foro Ecclesie, quod hic esse austerus, despoticus non debeat, hunc esse prohibitum; indictam vero *ministrationem*; paternam scilicet dominationem, qualem Christus ipse exercuit, qui licet summus esset dominus, sic se gerebat, ac *qui ministrare venisset, non ministrari.* Osus verissime locutus est; cum Christus potestatem utramque distinxerit, adeo ut sacerdotium nequeat se involare principis alterius secularis jura; vel hæc exercere, quando illa nondum habet, ut non habebat tempore CONSTANTII; nec princeps laicus unquam usurpare jura sacerdotii. Cur vero sacerdotium possit acquirere jura etiam secularia eaque exercendi capax sit; non vero vicissim princeps secularis jurium sacerdotii, ex dictis in Concl. constat, tum inde, quod separationem sacerdotii in Aarone ab imperio Christus nusquam abrogavit; sed sacerdotium figurale elevarit in verum, huicque uni in Apostolis a se electis et vocatis, potestatem sacram et supernaturalem remittendi peccata, conficiendi S. Corpus suum, etc. contulerit, nusquam alicui laico vel principi; unde sequitur, quod, primæva Christi institutione non observata, non possit haberi sacerdotium; ac laicos, sine legitima vocatione juxta ordinationem Christi, non posse usurpare jura sacerdotii; posse tamen hoc usurpare jura secularia, quia ad hæc homines omnes capacitatem naturalem et radicalem proximam a natura habent, quam vero Christus ministris suis nullibi ademit.

126. Ad 4^{um}. R. In politicis et feudalibus non pendet a Romano Pontifice, sed ut status cæteri solum recognoscunt Cæsarem supremum principem; ergo nihil ab illis metuendum Imperio.

Demum, ut aliquid dedisse videamur adversariis, fatemur cum BELLARMINO hic: *Etsi absolute forsitan præstaret, Pontifices et Episcopos spiritualia solum tractare, et Reges temporalia; propter malitiam tamen temporum experientia clamat, non solum utiliter, sed etiam singulari Dei Providentia*

donatos fuisse Pontifici aliisque Episcopis temporales quosdam Principatus. Si enim in Germania Episcopi principes non fuissent, et etiamnum essent, nulli suis in sedibus quieti permansissent, vel quieti permanerent.

ARTICULUS IV.

QUID SIT EMPHYTEUSIS, QUIDQUE JURIS CIRCA ILLAM? ITEM LIBELLUM, ET SUPERFICIEM?

127. Emphyteusis rursus, sicut feudum, sumi potest 1^o. *objective*, sive pro re in emphyteusin data: 2^o. *efficienter*, pro contractu consensuali de utili rei alicujus immobilis dominio in alium transferendo sub conditione, cumque onere meliorationis rei emphyteuticæ, pensionis quotannis præstandæ, sive canonis annui, et eam non alienandi: 3^o. *effective*, pro jure, vel ipso dominio utili per contractum in alium translato, quo etiam sensu hic de emphyteusi disseremus.

128. *Dico I.* Emphyteusis est dominium utile rei immobilis concessum alteri a domino directo sub onere 1^o. meliorationis; 2^o. præstandæ pensionis annuæ, sive, ut vulgatur usus habet, canonis annui; 3^o. rem emphyteuticam non alienandi. Ita Jurisconsulti communiter ex §. 3. *Instit. de Locat. et Cond. ac t. t. C. de Jur. Emphyt.*

Dictum 1^o. *Rei immobilis*, ut agri, prædii; hæc enim, non res mobilis, proprie culturam recipit, et melioratur usu in ordine ad fertilitatem, qui est finis emphyteuseos. Quin inde nomen traxit, ait MOLINA Disp. 414. cumque eo alii; emphyteusis enim originem a græco ἐμψυτεύω ducit, i. e. *insero, planto*, quod domini olim terras incultas et steriles aliis excolendas darent vel perpetuo, vel ad longum tempus; tametsi moribus hodiernis, etiam jam cultæ in emphyteusin dentur.

Dictum 2^o. *Dominium utile concessum alteri*, scilicet regulariter perpetuo (*Inst. cit.*) ita ut ad quosvis hæredes transeat; pactis tamen etiam fieri temporalis potest, vel ad vitam alicujus, vel ad aliud certum tempus restringi, ZOESIUS ad ff. tit. *Locat. n.* 63. Idque non tantum in emphyteusi civili, sed etiam *ecclesiastica* verum est; nam et hæc regulariter perpetua est, Nov. 35. c. 2. Nov. 120. c. 6. §. 1. c. 7. X. *de Reb. Eccles. non alien.* Nec obstat, quod Nov. 7. tantum emphyteusin extendere videatur ad generationem tertiam; hæc enim *Novella* per jura dicta mutata fuit. ZOESIUS, *ibid. n.* 65.

Dictum 3^o. *Sub onere, etc.* hæc enim ad essentiam emphyteuseos pertinent, huicque soli sunt propria; quid vero singula importent, paulo post intelliges.

Ex his emphyteuseos differentia a variis aliis juribus relucet: 1^o. ab *emptione-venditione*, quod per hanc dominium non solum utile, sed etiam directum transferatur, ac insuper etiam in mobilibus locum habeat: 2^o. a *locatione*, in qua rei concessæ non dominium utile, sed solum conceditur usus; dein emphyteusis res solum immobiles respicit locatio etiam mobiles: 3^o. ab *usufructu*, quia et in hoc non dominium utile conceditur, sed tantum jus personale ad utendum et fruendum re; deinde ad hæredes non transit, secus est de emphyteusi: 4^o. a *feudo*, in quo non præcise canon

annuus, sed servitia personalia debentur: 3^o. a *contractu censuali reservativo*, in quo nimirum etiam dominium directum transfertur in censualistam, reservata solum pensione annua; nec amittitur bonum censiticum, non persoluta biennio vel triennio pensione debita, sicut de emphyteusi dicitur. Quomodo a *libello* differat, patebit ex dicendis inferius.

Si dicas: Emphyteusis conceditur etiam sub onere solvendi *laudemii*; ergo.

R. *D. Ant.* Tanquam aliquo constitutivo formali et intrinseco ipsius juris emphyteuseos N. Quod se habet ad jus emphyteuseos velut causaliter et extrinsece, ac quidem non semper C. *Laudemium* dicitur illud, quod domino directo, quoties mutatur emphyteuta, dat in recognitionem investituræ noviter acceptæ. Derivatur vox *laudemium* a laudatione, quod dominus directus alienationem inter veterem et emphyteutam novum approbet, sicque laudet; vel ipse emphyteuta novus solvat in laudationem et approbationem, sive recognitionem domini proprietarii. De *jure communi* est quinquagesima pars pretii, quo æstimatur alias res emphyteutica tempore vel concessionis vel mutationis, id est 2. pro 100. *L. fin. C. de Jur. Emphyt.* De praxi tamen potioris partis Germaniæ hodie laudemium est pars vigesima, sive 5. pro 100. PICHLER.

Hoc vero laudemium juri emphyteuseos essentielle non est, quia non semper est obligatio solvendi laudemii; velut 1^o. in concessione prima emphyteuseos, cum, spectato jure communi, solum debeatur tunc, dum quis per actum inter vivos, ut emptione-venditione, donatione possessio transfertur in emphyteutam novum, vel quando per actum voluntatis ultimæ ex testamento extraneus succedit; non vero si hæres necessarius; nec si detur filiæ in dotem, *arg. L. 3. C. de Jur. Emphyt.* qua dicitur tum deberi laudemium, quando alienatur res emphyteutica alienatione voluntaria; sed dum succedit hæres necessarius, vel datur filiæ in dotem, non est alienatio voluntaria, sed necessaria, h. e. quam lex urget; hæc vero vult, ut hæredibus necessariis detur hæreditas, et filiæ dotentur. 2^o. Quando emptio-venditio emphyteuseos irritatur *ex L. 2. C. de rescind. vendit.* ob læsionem immodicam, quia et hæc irritatio ex quadam necessitate fit. 3^o. Quoties successor in emphyteusi jam comprehensus fuerat in investitura prima.

129. *Dico II.* Emphyteusis dividitur 1^o. in *ecclesiasticam*, si res, quæ in emphyteusin conceditur, ad Ecclesiam, aliumve locum pium pertineat, sive accipiens clericus sit, sive laicus; et *laicalem*, si res ad personam, vel communitatem laicam spectet. Utraque, per se loquendo, juxta sui fori leges regulatur; quod si tamen ecclesiastica sit data laico, quoad dominium utile dispositionem juris civilis sequitur.

2^o. In *perpetuam*, quæ etiam *hæreditaria* dicitur, dum res sine restrictione ad tempus, vel personas in perpetuum conceditur; ac *temporalem*, si ad certum tempus, quod tamen non potest esse brevius 10. annis, ne alias esset locatio simplex. Si hæc concedatur ad vitam unius, vel plurium, *vitalitium*, vel emphyteusis vitalitia. Perpetuæ sive hæreditariæ simpliciter opponitur etiam hæreditaria *ex pacto et providentia*, sive *familiaris*, aut *gentilitia*. In dubio emphyteusis perpetua præsumitur, quia sic regulariter concedi solita fuit.